B. N. C
FIRENZE
1058
34

Digitized by Google

LVIII
XXXIV
VALS
1362

6

Digitized by Google

XXXIV

1058.34

Digitized by Google

THESES

SCOLASTICO-DOGMATICÆ

FELICISSIMIS

SVB AVSPICIIS

ILLVSTRIS. AC REVERENDIS. DOMINI

D. NICOLAI SPINOLA

Thebarum Archiepiſcopi, SS. D. N. Papæ Prælati Domeſtici & Epiſcopi Aſſiſtentis, eiuſdemque SS. ac S. Sedis penes Sereniſs. Magnum Etruriæ Ducem cum poteſtate Legati de Latere Nuncij Apoſtollci,

Publicè propugnatæ in Abbatia Florentina

AD PETRO ALOYSIO

DELLA TORRE A IANVA MONACHO CASINATE

Aſſiſtemte

D. VIRGINIO VALSECHI

A BRIXIA

Ejuſdem Abbatiæ Lectore

FLORENTIÆ

Apud Cæſarem de Bindis, ſub Signo S. Bernardi.

SVPERIORXM PERMISSV. 1707.

1058.74

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME

AC REVERENDISSIME DOMINE.

ETſi non is Ego ſim, qui ab ſacris Diviniſque rebus tractandis, procul omnem humani ingenij ſolertiam, amovendam eſſe contendam; imo verò Sanctiſſimis noſtræ Religionis Myſterijs, perquam utilem explicandis, illuſtrandiſque eſſe cenſeam: impudentiſſimos tamen, eos eſſe, nemo non videt, qui perexiguum hoc, quod in humano animo, rationis jubar effulget, anteponendum fulgentiſſimis ijs facibus prædicant, quas nobis ſacrarum literarum oracula protulerunt, & Patrum noſtrorum conſenſus & Eccleſię auctoritas conſecravit. Si, enim, ut ajebat

Pla.

Plato, nonniſi *ἢ παρά τοῦ θεοῦ ἢ παρά τ̃ ἐκγόνων τοῦ θεοῦ* *aut à Deo, aut ab ijs, qui a Deo nati ſunt*, veritas omnis ediſcenda eſt; qui de præſtantiſſima dixerim, divinarum rerum, Fideique Dogmatum cognitione, quæ altioribus ſanè obvoluta tenebris ſunt quæque non niſi ex Deo ipſo loquente, & revelante, excepimus. Ab hoc itaque fonte, ſacros latices, Tibi Illuſtriſſime, & Reverendiſsme Domine, porrigimus, Magno magnum munus; quod Te, non perbenigne ſolum excepturum, Præſul Optime, fore, confidimus, imovero authoritate Tua tueri, altiuſque ampliſsimo Nominis Tui Patrocinio, confirmare poſſe intelligimus. Is quippe Ipſe es, ut sivè præclariſsima Majorum tuorum decora ſpectem, qui profectò, ut Pindari verbis utar,

Ἴδια ναυστολέοντες
ἐπικώμια πλεεῖδων ἀρέταις
δυνατοὶ παρέχειν πολὺν ὕμνον ἀγε-
ρώχων ἐργμάτων ἕνεκεν.

Sive miram illam morum ſuavitatem, qua omnium planè animos demereris, intuear; Sivè demum, ſingularem Animi Tui magnitudinem, eximiamque, quam in tot, tantiſque, iiſque gravioribus Chriſtianæ Reip. curis, eo omnium laudum concentu, adprobaſti, magiſque in dies adprobas Fidem, Sapientiam, integritatem, Gravitatem ſuſpiciam; Is ipſe, inquam, es, ut mihi certò, præſidium omne, atque ornamentum pollicear. Adſis itaque mihi hodierna die, Illuſtriſsime, & Reverendiſsime Domine; ac ſpectatiſsima Avorum tuorum, quæ plane imples veſtigia, pergito, inſiſtere, quo Te inclyta hæc Virtus Tua Tuorumque merita jubent conſcendere, melioribus ſemper in dies fatis uſurus. Vale.

THE-

THESES THEOLOGICÆ

I.

DEum eſſe non ſolum a Patribus ac Scholaſticis firmiſſimis argumentis oſtenditur, ſed etiam informata quadam notione nobis omnibus inſitum eſt: Vnde hæc Propoſitio, Deus eſt, non modo quo ad ſe, verum etiam quo ad nos eſt per ſe nota.

II.

Deus eſt unus, & ſummè Bonus Deus autem ſummè malus, quem Marcionitæ, & Manichæi αὐτόκακον, ipſum malum, & κακὸν αὐτογέννητον, malitiam ſui genitricem appellant, omnino repugnat,

III.

Etſi Patres plerumque aſſerant Eſſentiam Divinam nullo nomine, nullaque ratione explicari poſſe, convenientius tamen in eo ſitam eſſe fatentur, quod ſit id quod eſt.

IV.

Gilbertus Porretanus verè eſſentiam Divinam tùm a Perſonis, tùm ab Attributis, & Attributa abs ſe invicem reipſa ſeparavit, quidquid ſcribat Otto Friſingenſis hiſt. lib. 1. cap. 50. ejuſque error meritò in Concilio Rhemenſi proſcriptus eſt.

V.

Græcorum etiam Palamitarum errorem, quod a Dei ſubſtantia reipſa illius operationes, & proprietates differant, prorſus rejicimus; & immeritò in Barlaamum Monachum, ac Acyndinum illius diſcipulum, Anathema

B in qua-

in quadam Synodo Conſtantinopolitana, quam Nonam ipſi Oecumenicam vocant, dictum fuiſſe affirmamus.

VI.

Etſi nullam realem inter eſſentiam Divinam, ejuſque attributa, diſtinctionem agnoſcamus, non ideò tamen neque intelligentia & cogitatione ea diſtingui aſſerimus, qui eſt alius extremus Eunomii & Aetii error, latè a Baſilio, & Gregorio Niſſeno confutatus.

VII.

Deus eſt incorporeus; & licet Tertullianus lib. 2. contr. Marcionem cap. 16. & lib. cont. Praxeam cap. 7. docuiſſe videatur, eſſe Corporeum, ab Auguſtino tamen lib. de Hæreſ. cap. 86. benè defenditur, quod Corpus dictis in locis pro eo uſurpaverit, quod nihilo aut alicui qualitati opponitur.

VIII.

Auguſtinum etiam, Hilarium aliosque nonnullos ex Patribus, ea calumnia vindicamus, quod Deum ita Incorporeum eſſe aſſeruerint, ut id de Anima rationali, ac Angelis planè negaverint.

IX.

Omnino ſimplex eſt Deus; ac tantum abeſt, ut realis Perſonarum Diſtinctio quidquam ſummæ ejus ſimplicitati detrahat, quin illam potius, mirificè adſtruat; ut eleganter Irenæus lib. 2. c. 18. adverſus eos qui προβολὰς quaſdam, & prolationes Deo affingebant, Athanaſius orat. 5. contr. Arian. & Baſilius, Hom. 27. contr. Sabellianos contendentes λόγον ideſt rationem, aut ſermonem ex ſe ſubſiſtentem non eſſe, ſed ἐνδιάθετον cujuſmodi eſt in Angelis aut animis noſtris, oſtendunt.

X.

Æternitas, quæ initium omne, ſucceſſionem, & finem excludit, verè Deo convenit. Abſurdam autem Græcorum Palamitarum, & Eugubini ſententiam putamus, quod

quod ab æterno, lux etiam Divina quædam, increata, & a Dei ſubſtantia diverſa, quæ eſſet Dei ipſius inhabitatio, extiterit.

XI.

Deus ratione ſuæ Immenſitatis nullo comprehenditur ſpatio, ac non in Cœlo ſolum, ut Vortius Calvinianus, & Steuchus Eugubinus, putarunt, ſed ubique tùm Virtute, tùm ſubſtantia eſt præſens.

XII.

Inviſibilis etiam ſæpe in Scripturis dicitur; unde neque ullo pacto oculis corporeis, neque ab intellectu creato ſolis naturæ viribus videri poteſt, ut in ſe eſt.

XIII.

A Beatis in Cœlo clarè & ſecundum eſſentiam videri, manifeſtò ex Scripturis ac Eccleſiæ tùm Latinæ, tùm Græcæ traditione convincitur; contra quod ſentiunt Armeni, ac Palamitæ, aſſerentes non Dei adſpectu Beatos in Cœlis frui, ſed lucem quandam dumtaxat, ſeu ex Deo quendam veluti manantem fulgorem, qualem in Thabore viderunt Apoſtoli, intueri.

XIV.

Catholicum quoque Dogma eſt, quod Sancti plenè purgati ſtatim poſt mortem fruantur intuitiva Dei Viſione, idque etiam ex Patrum tum Latinorum tum Græcorum traditione comprobatur.

XV.

Per eundem actum, quo Beati vident Dei Eſſentiam, vident etiam omnia illius Attributa ſive abſoluta ſive relativa, immo eſt abſolute impoſſibile, ut intuitivè ea videatur, illis etiam ſimul non viſis.

XVI.

Ex eo tamen quod Beati clarè videant Deum Vnum, & Trinum ſicuti eſt, non eum propterea comprehendunt; immo cuicunque Creaturæ cognitio ejuſmodi Divinæ eſſentiæ comprehenſiva repugnat.

Datur

XVII.

Datur etiam in ipſa Dei Viſione inæqualitas, eaque tota a ſolo lumine Gloriæ petenda eſt.

XVIII.

Deus perfectè ſe ſe & creata omnia comprehendit. Ex ipſa tamen creatæ Voluntatis comprehenſione, non videt futura illius contingentia libera, ſive ordinis naturalis, ſive ſupernaturalis, ſicuti neque in reali eorum coexiſtentia cum Æternitate, ſed ea tantum certò, & infallibiliter in abſolutis ſuis, & efficacibus Decretis cognoſcit.

XIX.

Cognoſcit etiam futura contingentia, non reipſa futura, ſed quæ futura erant certa conditione poſita, quæ nunquam ponenda ſit.

XX.

Deus noſtra omnia ſecundum conſilium Voluntatis ſuæ moderatur & regit; & antequam cunque meritorum prævisionem, voluntate efficaci elegit ad gloriam quos voluit ante mundi conſtitutionem prædeſtinare. Atque hanc eſſe veram, & germanam S. Auguſtini Sententiam, tuetur P. Petavius, in lib. 9. Theologicorum Dogmatum de Prædeſtin. a cap. 6. uſque ad c. 16. Immo eandem non quorumvis tantum Doctorum opinionem eſſe, ſed Fidem Eccleſiæ Catholicæ, contendit Cardin. Bellarminus lib. 2. de lib. arbit. cap. 11.

1058.341

58572

1058.34

Digitized by Google

Digitized by Google